

Epistula ad Caesarem

Ariovistus, rex Germanorum et amicus populi Romani, Gaio Iulio Caesari salutem plurimam dicit.

Te victoriam tulisse de Helvetiis comperi; tibi gratulor. Te et legiones tuas Helvetios facile superavisse puto; Helvetii tam effeminati sunt (si eos nobiscum conferas) ut non fortiter pugnare possint. Tum eos in Helvetiam redire iussisti, et recte fecisti: est ius belli ut victor victis arbitrato suo voluntatem suam imponat.

Nos eodem iure utimur: nuper cum natione mea in Galliam veni, cenae et vinorum meliorum causa, ad considendum in finibus Aeduorum. Scilicet Aedui nobis resistere conati sunt, sed frustra: proelio brevi superatos eos obsides mittere coëgi et eis vectigalia imposui. Quamdiu mihi obtemperant et sine cunctatione tributa pensitant frumentumque suppeditant, iis nihil est timendum.

Aeduos tecum de facinoribus nostris questos esse suspicor, et nunc a nobis postulas ut Galliam relinquamus. Cur te rebus nostris interpones? Num me in bellum tuum contra Helvetios interposui? Romani nationibus victis arbitrato suo imperant, et mihi, amico populi Romani, quid faciam praescribere coneris?

Mihi crede, care amice: non me cogere potes ut in Germaniam redeam, neque ut Aeduis obsides reddam. Quam ob rem te admoneo ne in cervicibus meis sis, nisi fortunam belli tentare cupias. Num tu revera salutem legionum tuarum periclitari audebis? Erras si nos faciliter superari posse credas: nemini umquam nos devincere contigit.

Tibi suadeo ut imperium meum in Aeduos agnoscas; ita neque aliter pax inter populum Romanum et nationem Germanorum servabitur.

Valetudinem tuam cura diligenter.

Ariovistus